

Eth.
15
uri.

go,
cre-

Duodenarius

QUÆSTIONUM

PHILOSOPHICARUM,

^{Quas}
Deo Duce,

Consensu venerandi Philosophorum ordinis in
Illustri Francofurtana,

P R A E S I D E

M. DANIELE STAHLIO,

Franco, Collegii Philosophici in
inclita Salana Adjuncto

publicè

4. Mart. boris & loco consuet.

defendendas suscipiet

JOHANNES SCHÖSSERUS, F R A N -
cofurtanus.

A N N O C H R I S T I

M. D C. XX.

Typis

Friderici Hartmanni, Bi-
bliopolæ.

VIRO

Consultissimo & Clariſſimo, Dn.

ALBERTO ROGKENBACHIO,

Juris & justitiae Practico præstantissimo; nec non
Reipub. Crosnensis Syndico lau-
datissimo,

ut &

Prudentissimo, Spectatae, Virtutis, fidei ac industria
elogio commendatissimo Viro, Dn.

JOHANNI SOMMERO, REIPUB.

Oppidana Camerario, & Negotiatori
inter primos.

Dnn, & affinibus meis plurimum colenda

Hoc

Philosophicum *μνήμην*.
Gratitudinis & observantiae
qualecunque *μνήμην*.

Offert

Johannes Schöfferus.

Quæstio I.
An Deus sit Universale?

I.

Ta videtur: Vni-
versale namque est, quod
pluribus inesse aptum est, quod
de pluribus prædicari aptum est:
Deus est in pluribus, nempe in tri-
bus personis, & de iis prædicari a-
ptus est. Dico namque rectè, Pater est Deus, Filius est
Deus, Spiritus Sanctus est Deus. E. Deus est universa-
le respectu trium personarum.

II. Sed respondetur ad majorem: Non omne illud
universale est, quod quævis modo pluribus inest, & de
illis prædicatur, sed requiritur, ut in illis multiplicet-
ur secundum rem sive ut illa in quibus est, & de qui-
bus prædicatur, sint plura, sub nomine & conceptu
hujusmodi universalis, sicuti natura hominis multi-
plicatur in individuis humanis, & homines sunt plu-
res sub nomine & conceptu hominis, ita ut rectè di-
cam: Petrus & Johannes sunt duo homines, sed non sic
Deus respectu trium personarum. Non multiplicatur
divina natura in tribus personis, non sunt plures sub
nomine & conceptu DEI. Hinc non possum dicere,
Pater, Filius, & Spiritus Sanctus sunt tres Dii, quæ o-
mnia tanquam probata à Theologis præsupponimus.

III. Similiter Deus est unus numero. E. non est uni-
versale. Numero enim unum & universale opponen-
tur.

A 2

tur.

tur. Unde concludo, cum prædicatur Deus de Patre, Filiō & Spiritu Sancto, nec prædicari ut genus, nec ut speciem, nec ut differentiam, neque ut proprium, neque ut accidens.

Quæstio 2.

An aliquid de DEO posit demonstrari à priori?

I. **A**ffirmamus. Neque obstat, quod objicitur, in Deo nihil dari prius, nihil posterius; item in Deo non dari causam & effectum. Quamvis enim in Deo non derur in prius & posterius secundum rem, datur tamen secundum rationem sive secundum nostrum concipiendi modum. Quemadmodum enim quod inter attributa divina non datur distinctio realis, non impedit, quo minus detur inter ipsa distinctio rationis; ita per hoc, quod in Deo non est prioritas realis, non tollitur prioritas rationis.

II. Quod autem attinet causam & effectum, notanda distinctio ex Cajetano super i. post. 2. Ubi causa, inquit, propter quam res est seu in effendo, dicitur duplicitate; quædam est verè & realiter causans (secundum aliquid genus causalitatis) id cuius causa dicitur, quæ & distinguitur realiter ab eo, cuius est causa, scit rationalitas est causa risibilitatis; quædam autem est que non tam est causa ejus cuius causa dicitur, quam ratio, quod illud insit, & non solum ratio, quod cognoscatur inesse, sicut omnimoda immutabilitas in Deo est causa sua eternitatis: & immaterialitas (propriè dicta) inventa in anima est causa sua immortalitatis. Et paulò post, illam causam, quæ revera causat, appellat Cajetanus, causam-

causam in effendo formaliter: illam verò, quæ solùm est ratio, cur aliquid insit, appellat causam in effendo virtualiter.

III. Hinc respondeo, et si in D^O non sit causa in effendo formaliter, quæ scilicet verè & realiter causet neque etiam in eo sit effectus (hoc enim si esset daretur in D^O compositio) datur tamen aliquid in D^O, quod sit alicujus ratio à priori, quæ appellatur causa virtualiter, sicut si interrogatus fueris, quæ sit causa vel ratio, cur D^O Deus sit æternus ex sententia Cajetani recte responderis, præterea esse æternum, quia est omni modò immutabilis

Quæstio 3.

De divisione finis in finem cuius

& cui.

I. Dividit Arist. 2. de anim. finem in finem cuius & cui. Hanc divisionem reprehendit Timpler. l. 3. Metaph. cap. 2. quæft. 41. Ratio ejus est hæc: Quicquid est id cuius gratia aliquid est, id est finis cuius. Omnis finis est id, cuius gratia aliquid est. E. Omnis finis est finis cuius, & per consequens male dividitur finis in finem cuius & cui.

II. Sed hæc ratio Timpleri tanta non est, ut propter ea Aristotelem relinquere debeamus. Sciendum igitur, quod cum dicuntur, finis cuius, vel, id cuius gratia, hoc possimus dupliciter explicare, 1. specialiter, nempe cum exclusione, quod scilicet aliquid sit solùm id, cuius gratia aliquid est vel sit, & non simul subjectum, vel id cui aliquid procuratur, sicut in curatione sanis

A. 3. 1010 10 25 tas

tas est id, cuius gratia medicamenta adhibentur, sed non est subiectum, cui adhibentur. 2. generaliter, nempe cum abstractione, quod scilicet aliquid alicius gratia sit, non attendendo an sit simul id, cui aliquid procuratur, vel non sit.

III. Jam dico, quando finis definitur quod fit id, cuius gratia aliquid est, tum accipiendum esse generaliter, & cum abstractione, quando vero dividitur in finem cuius & cui, accipiendum esse cum exclusione.

IV. Hinc nego majorem in argomento Timpleri, si finis cuius accipiatur specialiter & cum exclusione, quia scilicet non omne id, cuius gratia aliquid est vel procuratur, est solum id, cuius gratia est vel procuratur, ita ut non sit simul id, cui procuratur, sicut in curatione homo est id cuius gratia medicamenta adhibentur, ita tamen, ut sit simul id, cui adhibentur. Quod si in propositione majore finis cuius accipiatur generaliter, nihil concluditur contra nostram sententiam, quia concedimus, hoc modo finem non recte dividi in finem cuius & cui.

Quæstio 4.

*De quantitate hujus enunciationis; Animal
dividitur in hominem &
bestiam.*

I. **H**ec enunciatio: Animal dividitur in hominem & bestiam, vera est. & tamen non est particulariter vera, quia ut propositio sit particulariter vera, oportet aliquid sub subiecto contineri, cui competit

perat prædicatum. At non datur aliquid sub animali,
quod in hominem & bestiam dividatur. Esset enim
aut homo aut bestia. Sed nec homo neque bestia in ho-
minem & bestiam dividi potest.

II. Hinc sequitur, quod neque universaliter vera sit,
quia quidquid est universaliter verum, est etiam parti-
culariter verum, sicut quod omnis homo est animal,
rectè dico, quandam hominem esse animal.

III. Non videtur etiam esse singularis, quia subje-
ctum ejus non est singulare.

IV. Quid ergo dicendum? Dices forsitan, esse propo-
sitionem indefinitam. At neque hoc admitti potest.
Quia omnis indefinita æquipollit universali aut par-
ticulari. At illa neque universalis æquipollit, neque
particulari, ut ex ante dictis manifestum est.

V. Nos, non obstante eo, quod thesi 3. allatum est, af-
serimus esse singularem, quod quidem in ipso exerci-
tio disputationis latius explicabimus. Eadem autem
ratio est harum enunciationum, Animal est genus, ho-
mo est species, &c.

Quæstio 5.

*An ars certe definitur per comprehen-
sionem præceptorum.*

I. **V**ulgata est definitio artis, quod sit compre-
hensio præceptorum verorum, homogene-
orum, ad finem in vita utilem.

2. Sed

II. Sed non recte ita definiri sic probbo. Quod est se-
parabile ab arte, per id ars non recte definitur. At com-
prehensio præceptorum est separabilis ab arte. E. Mi-
norem probbo: Quod est separabile ab artifice, est etiam
separabile ab arte. Præcepta sunt separabilia ab artif-
ice. E. etiam sunt separabilia ab arte. Minorem iterum
probo. Quia præcepta non sunt in artifice, nisi quando
actu ab eo formantur. Sunt enim propositiones. At
propositiones non sunt in artifice, nisi actu formentur.

Quæstio 6.

De causalitate materie.

I. Materia non esse in numero causarum hoc
probari videtur argumento: Quidquid
non agit, non est causa. Materia non agit. E. materia
non est causa.

II. Respondent quidam negando minorem, & ad
hoc utuntur autoritate Scaligeri, qui exerc. 307. s. 27.
*Materia, inquit, videtur agere, ut forma existat. Non-
nim effet unum ex principiis, nisi aliquid faceret.*

III. Nos minorem concedimus, & dicimus mate-
riam non agere, imò ne formam quidem agere cen-
semus. Ut autem propositum argumentum solva-
tur, neganda est major.

Quæst. 7.

De Ratione vita.

I. Timpler.

I. **T**impler. i. de corp. anim. in genere c. 2. quest. 2. agit de ratione vita & postquam aliorum definitiones censore nota esset virgula, ipse talem proponit: Vita naturalis est duratio corporis animati usque ad terminum quo desinit.

II. Verum si aliqua ex iis definitionibus, quas Timplerus ibidem refutat, est vitiosa haec ipsa est. Argumentor ita: Duratio non est de essentia viventis, si quidem res concipitur esse vivens antequam concipitur durare. Vita est de essentia viventis, ut manifestum est. E. vita non est duratio.

Quæst. 8.

De distinctione formæ in materialem & immaterialem.

I. **T**impl. l. 3. Metaph. c. 2. q. 61. flagellat distinctionem formæ in materialem & immaterialem. Audiamus ipsum. Formam, inquit, materialem vocant (i. philosophi) que materia est unita seu juncta; immaterialem vero, que ab omni materia est separata. Nam autem omnis forma, qua forma, est unita materia, neque fieri ullo modo potest, ut aliquid actu sit forma, quod à materia est separatum.

II. Sed turpe est Timplerum Philosophis dicam de hac distinctione scribere, & nescire quid ipsi intelligent per ejus membra. Philosophi per formam materiam intelligunt eam, quæ est educata de potentia materia, seu quæ dependet ab materia in esse & in fieri. Per immat-

immaterialem intelligunt, non eam quæ à materia separata, sed quæ à materia est separabilis, seu quæ non est educta de potentia materiae.

III. Hinc Alsted. l.1. Metb. Met. c. 28. Distinguendum est, inquit, inter formam materie & materialem. Illud dicitur esse formam materie, quod dat esse materie & simul cum ea facit unum compositum essentiale, quod sit ens specificum compleatum & absolutum: id autem vocatur forma materialis, quod est eductum è potentia materiae, eique immersum & ab ea inseparabile.

IV. Sed posito, philosophos eo modo accipere membra illius distinctionis, sicut refert Timpler, non tamen statim eam possit rejiceret. Eset enim tunc distinctione vocabuli & quivoci in sua equivocata, at tales distinctiones admittere Timplerum patet ex q. 57 l. cit.

Quæst. 9.

An forma rectè dicatur informare materiam?

I. Negat Timpler. l.3. Metaph. c.2. quæst. 63. Nos affirmamus & argumentamur ita: Quidquid actuat & complet potentiam materiae informis & sic facit ut non amplius sit informis suam propriam perfectionem ipsi exhibendo, id utique ipsam rectè dicitur informare. Sed forma dicto modo potentiam materiae actuat. E. rectè dicitur informare materiam.

2. Præterea formæ in specie denominant materiam, cum qua compositum constituunt, sicut calor, ut for-

ma

eria
e non
m est,
d dicit
cum
e com
rialis,
ab
nem
onta
nc di
t tales
l.cit.

Nos
dquid
s & sic
n per
e dicit
n ma
iam,
ut for
ma

mia accidentalis ignem denominat calidum. Quidni ergo forma in sua latitudine denominet materiam? Quæ autem est denominatio, quæ sumitur à à forma in sua latitudine, quām quod inde aliquid dicitur formatum? Amplius si materia dicitur informata à forma, quid obstat, quo minus forma dicatur formare vel informare materiam? Argumenta, quæ pro sua sententia affert Timplerius rejicimus ad ipsum disputationis actum.

Quæst. 10.

*An detur conceptus communis DEO & crea-
turis, & qualis ille?*

I. Conceptus hic, esse citra mentis operationem, est communis DEO & creaturis. Quis enim negabit, Deum esse citra mentis operationem? Quis negabit etiam creaturas esse citra mentis operationem? Falsò ergo statuunt quidam nullum dari conceptum communem DEO & creaturis.

II. Unde apparet etiam illos errare, qui, cum Deus dicitur ens & creatura dicitur ens, afferunt nomen solum unum esse, rem a, significatam tali nomine esse diversissimam.

III. Non solum autem afferimus dari aliquid commune DEO & creaturis, sed etiam dare quid essentiali in creaturis, quod cum DEO habeant commune.

IV. Dubitatur ulterius; an conceptus, verbigratia entis, quatenus est communis DEO & creaturis, sit univocus?

vocus vel analogus', sicut Philosophus loquitur, ^{ad}
et nos. Defendemus posterius.

Quæst II

De subjecto actionis.

Tiplerus l.5. Metaph. c.4. quæst. 4. statuit actionem
subjective esse in agente, & non in paciente. Nos ab
surdam judicamus esse hanc sententiam.

Quæst 12

I. An materia prima habeat actum entitativum?
Aff. contra Thomist. & Zabar. l. 2. de mat. prim. 2.



VI 216

5.+24.8m 8:20

23 = E

39 = t.




3

vd18

TA → 0

VD 77

I
04.2007 Sch



B.I.G.

Black

8	
7	
6	
5	
4	
3	
2	
1	
Centimetres	
1	Blue
2	Cyan
3	Green
4	Yellow
5	Red
6	Magenta
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	
20	
inches	
1	
2	
3	
4	
5	
6	
7	
8	
9	
10	
11	
12	
13	
14	
15	
16	
17	
18	
19	
20	

Farbkarte #13

Duodenarius
B.I.G.

1670
365

QUÆSTIONUM
PHILOSOPHICARUM,
Quæs
D E O D U C E,
Consensu venerandi Philosophorum ordinis in
Illustri Francofurtana,
P R A E S I D E
M. D A N I E L E S T A H L I O,
Franco, Collegii Philosophici in
inclita Salana Adjuncto
publicè
4. Mart. horis 8° loco consuet.
defendendas suscipiet
J O H A N N E S S C H Ö S S E R U S, F R A N -
cofurtanus.
A N N O C H R I S T I
M. D C. X X.

Typis
Triderici Hartmanni, Bi-
bliopolæ.